



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Disputationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

2 An necesse sit aquam vino miscere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

continui videtur. Denique nullum est maius argu-  
mentum, quo ostendatur, aquam non corrumpi con-  
gelatione. Adde, vinum, quamvis virtute sit calidius,  
tam formaliter non requirit tantum calorem,  
præsertim, quia congelatio, non tam ex frigidityte,  
quam ex siccitate provenit: si ergo aqua cum non sit  
minus humida, quam vinum, non corrumpitur pro-  
pter illam siccitatem, cur dicitur corrumpi vinum?

Et ex hoc inferitur secundo, si vinum congelatum  
ante consecrationem postea liqueat, illud posse esse  
materiam consecrationis. Hoc censeo fere certum  
vix patet ex dictis. Unde addunt auctores secunda sen-  
tentia nullum esse peccatum, in huiusmodi vino con-  
secrare, quod est valde probabile, quia reuera nullum  
est dubium. Consilium tamen existimo non conse-  
crare in illo, si fieri potest, vnde si contingat in missa  
invenire congelatum vinum, ante consecrationem,  
eriam post oblationem, optimum consilium erit mu-  
tare, & iterum offerre, ac postea consecrare.

Unde tertio concludo, huiusmodi vinum conge-  
latum esse sufficientem materiam. Probatur (præter  
rationem factam inter referendam primam opinio-  
nem) quia illud est vinum vitis, & consequenter per  
se est materia potabilis: accidentarium enim est, quod  
sub illa dispositione potari non possit: satis vero est,  
quod ex se, & ab intrinseco, habet naturam & for-  
mam potabilem, ad quam facile & ab intrinseco re-  
digi possit, in quo multum differt a massa, quæ ex se  
revera non est panis: proprie autem exemplum simi-  
le est in paneis cocto, qui præ duritie comedi  
non possit, nisi mollesceret aliquo modo, quia nihil-  
ominus esset materia sufficiens consecrationis: quia  
retinet panis substantiam & per se manducabilis est.  
Et confirmatur, ex differentia inter hoc sacramentum,  
& Baptismum, nam hoc non consistit actuali usu, sed  
in materia consecrata, & ideo satis est, quod illa ma-  
teria sit vinum, licet pro tunc non possit applicari,  
donec liqueat: at vero Baptismus consistit in actuali  
usu, & eius materia proxima est ablutio, ad quam  
non potest applicari gelu, nisi aliquo modo liqueat,  
& ideo donec in eam formam redigatur, in qua pos-  
sit lavare, non potest ad conficiendum Baptismus  
deseruire. Adde, vinum congelatum, quamvis  
non omnino liqueat, si in minutiores partes redi-  
gatur, posse aliquo modo potari, & reuera habere ef-  
fectum potus, & vini. Nihilominus tamen non credo  
libere huiusmodi materiam consecrare, propter  
dubium. Est enim contraria sententia vtriusque pro-  
babilis.

SECTIO II.

Verum necesse sit aquam vino consecrando miscere.

Quæstio intelligi potest de necessitate sacramenti  
& præcepti. Prima ergo sententia asseruit, mistio-  
nem aquæ esse de necessitate sacramenti, ita vt si  
merum vinum quis tentet consecrare, nihil efficiat,  
ita refert Bernard. epist. 69. & opinatur Armachanus  
lib. 9. de quaestionibus Armenorum, capit. 9. Funda-  
mentum esse potest, quia illa materia, quam Christus  
instituit, est de necessitate sacramenti, sed vinum a-  
qua mistum, est necessarium ex Christi institutione:  
ergo est de necessitate sacramenti. Minor probatur  
primo, quia institutionem colligimus ex facto Chri-  
sti. Inde enim supra inculimus panis & vini neces-  
sitate ac institutionem, sed Christus confecit in vino  
aqua misto, vt habet antiqua Ecclesiæ traditio. Iac-  
obus in liturgia similiter (inquit) postquam cœna-  
vit accipiens calicem & permiscens ex vino & aqua,  
& c. similia verba habet Basil. in liturg. Clemens lib. 8.  
Constitut. c. 12. alias 17. Irenæus lib. 4. c. 57. vbi tem-  
peramentum calicis vocat, & lib. 5. c. 2. vocat, calicem

mistum. Theodoretus dialog. 1. circa medium. In my-  
steriorum (inquit) traditione corpus panem appella-  
uit & sanguinem id quod in calice infusum & com-  
mistum erat, idem Damascen. lib. 4. c. 14. Hier. Marci.  
14. Aug. de Trinit. c. 21. referens Cyprian. lib. 2. epist. 3.  
alias epist. 63. cuius sane verba difficilia sunt: dicit e-  
nim, contra diuinum mandatum & institutionem  
fieri: si aqua vino non miscetur, & infra subdit, ita  
non posse consecrari vinum solum, sicut neque aqua  
sola, sed vtrumque mistum. Denique in can. 32. Trul-  
lan. & Concil. Aurel. 4. c. 4. & Conc. Africanum, cap. 4. &  
Con. Carthag. III. c. 24. præcipitur, vt in sacramentis  
corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur  
quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis  
& vinum aqua mistum.

Secunda sententia extreme contraria negat, aqua  
esse miscendam vino, atque adeo non solum non esse  
necessarium, verum etiam neque conueniens, neque  
fortasse licitum. Hunc errorem tribuunt Græcis gra-  
ues auctores, Glossa ordin. 1. Corinth. 11. Innocent.  
lib. 4. de hoc mysterio, capit. 22. Gabr. lect. 35. in ca-  
non. Durand. distinct. 11. quæst. 5. Guid. Carmel. libr.  
de heretib. Castro eodem libr. heret. 7. Præteol. ver-  
bo, Græci. Soto dist. 9. quæst. 1. art. 6. & Alanus libr. 1.  
de Euchar. c. 13. vbi refert ex Nicol. Gauafil. in expo-  
sit. Liturg. aliquos Græcos solitos esse non ante, sed  
post consecrationem aquam calidam vino miscere.  
Ego vero apud illum in eo libr. capit. 8. lego, consue-  
tudinem Græcorum esse, ante verba consecrationis  
infundere in sacrum calicem vinum, & aquam, di-  
cendo illa verba, Et statim exiit sanguis & aqua:  
prout habentur in Liturgia Chrysothomi. Aliam au-  
tem consuetudinem de mitione aquæ calidæ refert  
in cap. 37. tanquam ceremoniam quandam, quæ fieri  
solebat in usu seu communicatione Eucharistiæ, ad  
significandum Spiritus sancti effectum, qui per illam  
datur: non ergo videtur Græci hanc mitionem om-  
nino omisisse. Vnde Theoph. Græcus, Ioann. 19. circa finem  
hunc errorem tribuit Armenis. Idem Niceph. libr. 1.  
cap. 53. dicit, Armenos non miscere aquam, vt signifi-  
cent, Christum vini tantum esse naturæ. At vero  
Græcos illam miscere, propter duarum naturarum  
significationem. Itaque non videtur dubium, quin  
Græci aquam vino miscant, vt etiam ex dicta can-  
32. Trullano, & Græcis Patribus allegatis, & statim  
citandis: ac deniq; ex Concil. Florent. in decreto Eu-  
genij certissimum est: corrigendi ergo sunt dicti au-  
thores: proprium enim errorem Armenorum Græ-  
cis simpliciter tribuerunt, vt bene hic Caietan. nota-  
uit. Ad hunc vero errorem accessit Caluinus, solum  
quia non est in Euangelio expressum, aquam vino  
esse miscendam. Lutherus vero in formula missæ.  
Nondum (inquit) mecum constitui miscenda ne sit  
aqua vino vt refert Sander. libr. 7. Visib. Monarch.  
anno 1549. Fundamentum esse potest, quia aqua non  
est de necessitate sacramenti, cum materia autem sa-  
cramenti nihil miscendum est, quod materia non sit,  
& præsertim in hoc sacramento, vbi materia conuer-  
titebet in sanguinem Christi.

Dicendum vero est primo, hanc mitionem non  
esse ita de necessitate sacramenti, quin si aliquis ten-  
tet consecrare in solo vino, vere conficiat, & conuer-  
tatur illud in sanguinem Christi. Est certa & com-  
munis conclusio D. Thomæ hic, & omnium Theo-  
logorum cum Mag. distinctio. 11. Alens. quaestione 32.  
membr. 5. artic. 2. & membr. 6. Innocent. libr. 4. capit.  
34. & in eam inclinatur Bernard. supra. Et colligitur  
primo ex Concil. Tridentin. tota sessio. 13. vbi agens  
de hoc sacramento nihil profus de aquæ mitione  
dixit: postea vero sessio. 22. agens de sacrificio solum  
dixit Ecclesiæ, hanc mitionem præcepisse: indi-  
cans eam non esse de necessitate sacramenti, sed esse  
ritum quandam ad ceremoniam sacrificij Missæ. Fa-  
uet etiam Concilium Florentinum, in quo primum  
simpliciter dicitur, materiam esse panem, & vinum  
de vite:

S. Theodor.  
Damasc.  
Hieron.  
Cypri.

Synodus  
Conc. Aurel.  
Africanum.  
Carthag.

Sensens.

Innocent.  
Gabriel.  
Durand.  
Guido.  
Castro.  
Præteol.  
Soto.  
Alanus.  
Nic. Caietan.  
Sander.

Theoph.  
Niceph.

Conc. Trid.

Sander.

Sine a  
Possit a  
quis, de  
consecrat.

Magister.  
Alens.  
Innocent.  
S. Bernar.  
Conc. Trid.

Florent.

de vite: postea vero subiungitur, Cui, scilicet, vino, aqua ante consecrationem misceri debet. In quo dicendi modo, satis significat, hanc ceremoniam non pertinere ad ipsam substantiam materię sacramenti: & ideo postea præcepit, vt Armeni sese cum vniuerso orbe conforment: vnde non eos reprehendit, ac si nihil conticiant, sed solum, quia ab vniuersali consuetudine discordent: & hoc modo interpretatur etiam D. Th. hic quoddam dictum Cypriani, in citata epist. vbi dicit, eis qui sine mitione aquę interdum consecrunt, posse veniam concedi, quia ex ignorantia fecerunt. Quibus verbis indicat, eos quidem consecrasset, & vere sacrificasse, & ex ignorantia à culpa excusari. Vnde ibidem subdit, si vinum sine aqua consecratur incipere sanguinem Christi esse sine nobis, id est, sine significatione nostrę sanctificationis: incipit ergo ibi esse sanguis Christi. Ratio vero à priori est: quia Christus Dominus non instituit hanc ceremoniam, vt essentialem: hoc autem ex Ecclesię traditione, & auctoritate habemus, quę simpliciter docet, vinum esse materiam sufficientem. Vnde in Euangelio, vini tantum fit mentio in illis verbis, Non bibam amodo de hoc genere vitis: sed vinum purum est simpliciter vinum: ergo in rigore est sufficiens materia ergo mitione aquę absolute non est de necessitate sacramenti, & hoc magis ex 3. conclusione constabit. Præterea congruentia D. Th. est optima: quia mitione aquę non significat Christum vel sanguinem eius, qui est potissima res huius sacramenti, quę ex materia fit virtute formę: sed significat effectum, qui fit in suscipiente per vsum huius sacramenti: scilicet sanctificationem fidelium, vt Cyprianus dixit: sicut ergo vltus, & effectus consequens illum, est quid posterius hoc sacramento, quod in facto esse consistit, ita mitione aquę, quę illum significat, essentialis non est.

*Obiectio.*

*S. Cyprian.*

*Solutio.*

Dices, etiam significat hæc mitione aquam, quę de latere Christi exiit, quod videtur pertinere ad primariam significationem huius sacramenti. Et confirmatur, nam Cyprianus inquit, si vinum sine aqua consecratur, significari Christum esse sine nobis, aut nos sine Christo: efficitur ergo falsa significatione sacramenti, quod est contra substantiam eius. Respondetur illam significationem non esse essentialem: quia neque illa aqua naturalis, quę exiit de latere Christi, erat simpliciter necessaria in corpore, vel in sanguine eius: neque nunc in calice efficitur ex vi verborum illa aqua, quę exiit de latere Christi, sed solum sanguis, vt patet ex verbis formę. Hic est calix sanguinis mei. Ad Cyprianum vero respondetur, aliud esse significare vnum esse sine alio, aliud vero significare vnum, non significando aliud: illud prius potest significationem efficere falsam: hoc vero posterius per se non reddit significationem falsam, sed aliquam omittit: & ita est in presenti: nam, qui consecraret vinum sine aqua, non significaret, posse nos saluari sine Christo, aut Christum non effudisse sanguinem suum pro nobis: sed significaret, ibi esse sanguinem Christi, aliam significationem omittendo. Sectus vero esset, si quis tentaret conficere in sola aqua: nam ille significaret, vt Cyprianus ait, nos incipere esse sine Christo, id est, significari sine sanguine Christi. Aliter autem dicitur in sacramento esse sanguis Christi, & aliter dicimur nos ibi esse: ille realiter per conuersionem vini in ipsum: nos tantum significatione per mitione aquę. Et ideo contra substantiam sacramenti est, significare nos ibi esse sine sanguine Christi: non vero significare sanguinem, non significando nos.

*2. Conclusio.*  
*Conc. Trull.*  
*Florent.*  
*Trident.*  
*Carthag.*  
*Aurelian.*  
*African.*  
*Vormaciens.*  
*Triburien.*  
*Bracharen.*

Dico secundo, quamuis aqua non sit de necessitate sacramenti, nihilominus conueniens fuisse eam vino misceri ante consecrationem. Conclusio est de fide, vt constat ex Concil. Trullano, Florentino, Trident. & Carthag. Aurelian. & Africano supra citatis, & ex V. Vormaciens. c. 4. Tribur. c. 19. Bracharan. III. cap. 1. & ex capit. In quadam, & cap. Cuni Marthe, de Celebratione missarum, & ex Iulio. I. capite. Cum

omne crimen de consecrat. distin. 2. vbi alia decreta referuntur, & ex Alexandro I. epist. 1. decret. Ac denique hoc ipsum est vniuersali totius Ecclesię consuetudine & traditione habetur, quę Ecclesię consuetudo & traditio potissimum est huius veritatis fundamentum tamque præter dicta omnia, ostendunt Iulianus martyri apologia 2. pro Christianis, circa finem, vbi proponit antiquum Christianorum sacrificandi ritum. Ambrosius libro quarto, de sacrament. cap. 4. circa finem Iulidor. lib. 1. de offic. Ecclesiast. cap. 18. Augustinus tractat. 120. in Ioannem, vbi agens de aqua, quę de latere Christi Domini exiit, inquit, Aqua illa salutare temperat poculum, & illa illa & lauacrum præstat & potum. Optime Pat. ha. libro de mysterio sanguinis & corporis Christi, capit. 4. & 11. Beda Marci 14. & Luc. 22. Anselmus Matthæi 26. Bernardus epistol. 69. German. Constantinopolit. in Theoria rerum Ecclesiasticarum, non longe à principio. Saramon Gazentis Episcop. in dialogo cum Achmet. Saraceno, citatur denique Gregor. Nissen. oratione magna catechetica. cap. 27. cuius pars est apud Euthymium. 2. part. Panoplię, titul. 21. Rationes seu congruentiæ sunt huiusmodi. Prima, quia Christus Dominus ita fecisse creditur: vt patet ex D. Cypriano supra, de qua congruentia plura statim dicemus. Secunda, ad repræsentandum aquam, & sanguinem, quę de latere Christi exiuerunt, & Alexander Papa, & Augustinus supra, & habetur in cap. 1. de Consecr. d. 27. Tertia, ad significandum effectum huius sacramenti, qui est vnio Ecclesię cum Christo; quia per aquas solent populi significari. Apocalyp. 17. Quę ratio est etiam Cypriani supra, & has omnes attigit Concilium Trident. sessione 22. capit. 7. Quartam addit hic Diuus Thom. ex Ambr. libro 5. de sacrament. cap. 1. ad significandam gratiam, quę est aqua saluens in vitam æternam. Quinta esse potest, quia per aquam & vinum duplex natura Christi significatur, quam tetigit Nicephorus supra, & eavriter Guilel. Durand. libro 4. Rationalis, cap. 30. Neque est omnino reiicienda, eo quod vinum sanguinem significet. Nihil enim obstat, quin simul possit ad diuinitatem significandam adaptari: quod vt retulimus, factum est à Græcis, ad errorem Armenorum constitutum. Sexta, quia hoc sacramentum dari debuit sub specie cibi & potus, prout sunt in communi vltus: potus autem communis ac temperatus non est tantum vinum, sed etiam aqua: sumitur ex Gregor. Nissen. supra, Clemente Alexand. libro secundo Pædagog. cap. 2. & est accommodatae intelligenda: ne minimum probet. Nam etiam vinum purum potest esse potus communis, & ideo aqua non est simpliciter necessaria: habet tamen congruitatem aliquam. Notat denique Cyprianus supra, propter hanc mitionem præfiguratum esse hoc mysterium, tum in vino, quod Melchisedech obrulit, tum in aqua, quę ex petra fluxit.

Dico tertio, hanc mitionem non solum esse conuenientem & licitam, sed etiam necessariam necessitate præcepti, licet non sacramenti. Est conclusio certa de fide ex Concilio Florentino, & Trident. supra, & ex aliis omnibus supra allegatis. Vt autem hæc conclusio à priori & radicatus explicetur, tria dubia circa illam breuiter explicanda sunt.

Primum est, an hoc præceptum sit iuris diuini, an humani: graues in. authores esse de iure diuini. Alens. supra. Hostius in confess. c. 14. in initio. & Castro verbo, Eucharistia hæres. 7. cui sententię multum fauet Cyprianus supra, qui absolute vocat hoc, diuinum mandatum. Conc. Afric. & Aurelian. quę vocant sacramentum. Conc. Afric. mandatum, & Saluatoris institutionem. Conc. Carth. & Trullan. quę vocant, diuinam Christi traditionem. Et adiungi potest coniectura: quia, nisi Christus præcepisset, non esset ausa Ecclesię miscere aliquid materię sacramenti, quod ad perfectionem sacramenti non spectat. In nullo enim sacramento hoc fecisse legimus. Nihil.

Nihilominus contraria sententia, scilicet, hoc præceptum esse humanum, est communis Doctorum in 4. d. 11. Scot. q. 7. in fine, Durand. q. 5. Soto d. 9. q. 1. art. 6. paulo ante solutionem argumentorum. Ledesina quest. 15. art. 7. Gabr. lect. 35. in can. Guilel. sup. & facit multum Tridentinum dicens, hoc esse ab Ecclesia præceptum. Nam, licet ref. onderi posset, esse simile ab Ecclesia, & a Christo præceptum, & Concilii dixisse, quod certius est, non tamen negasse aliud, aut exclusisse: nihilominus tamen ille modus loquendi non solet vsurpari in rebus, quæ sunt iure diuino præceptæ. Adiungi etiam potest Florentin. quod non reprehendit Armenos omittentes missionem hanc, eo quod agerent contra diuinum præceptum, sed quod a communi Ecclesie consuetudine dissentirent. Vnde tota ratio huius præcepti videtur in hac consuetudine poni. Denique Alex. Papa, & Con. Trident. c. 19. solum dicunt, hoc esse traditum a Patribus. Vltimo adiungi potest coniectura, quia si hoc esset diuinum præceptum, vix posset reddi ratio, cur hoc non sit de necessitate sacramenti: quia hæc necessitas solum oritur ex institutione & præcepto Christi. Vnde in omnibus aliis materis sacramentorum quidquid ex institutione & præcepto Christi necessarium est, est etiam de necessitate sacramenti. Et hæc posterior sententia sequenda videtur. Ex qua consequenter sequitur, hoc præceptum esse per Ecclesiam diffusibile. Imò addit Ledesina supra, vt gente necessitate, posse etiam sine dispensatione hanc missionem omitte. Quod mihi non probatur, quia res est grauior multo, quam consecrare cum vestibus sacris, vt supra sæpe in similibus dixi. Quod autem summus Pontifex dispensare possit, simpliciter probabilis est: practice vero exilimo, vix posse occurrere occasionem, & causam rationabilem, vt talis dispensatio licite concedatur. Quia hæc missio est res facilissima, & quæ vbique ac semper sine inconuenienti fieri potest. Quod vero dicendum sit ad fundamenta prioris sententia, ex sequentibus dubiis patebit.

Secundum dubium est, à quo fuerit hoc præceptum traditum, quidam enim existimant, Alexandrum I. hunc ritum instituisse & præcepisse: vnde in vita eius, quam etiam legit breuiarium Romanum, dicitur iussisse aquam vino misceri, propter aquam & sanguinem, quæ de latere Christi fluxerunt. Et ita tenet Guilelm. Durand. supra & Soto citat in eadem sententiam Armatian. Sed non recte, vt exilimo. Nam cum ille docuerit, hoc esse de necessitate sacramenti, necessario dicere debuit esse Christi institutionem. Verior tamen sententia est, non fuisse Alexandrum huius præcepti auctorem, sed à temporibus Apostolorum hoc præceptum manasse. Verisimile quidem est Alexandrum fuisse primum, qui tradidit scriptum hoc præceptum ante ipsam tamen traditionem & vsu habebatur in Ecclesia, vt ex liturgia Jacobi, & ex dicto canone trigesimo secundo. Trullan. ex Tridentino, ex ipso denique Alexandro aperte colligitur: dicit enim se tradere, quod à Patribus acceperat, & in aliis locis dicitur, Romanam Ecclesiam hoc ab Apostolis didicisse, ac perpetuo obseruasse.

Tertium dubium est, an Christus Dominus consecrauerit in puro vino, vel aqua misto. Durand. enim q. 5. rem existimat incertam esse: VValdenis autem, lib. de sacramentalibus tom. 3. c. 32. defendit Christum in puro vino absque missione aquæ consecrasse, & citat Chrysostrum hom. 83. in Matth. non tamen fideliter. Ibi enim Chrysostrum disputat contra Aquarios & vt probet vinum esse necessarium, contendit, Christum in vino consecrasse. An vero illud fuerit mistum vel purum, nihil dicit. Et ita exposuerunt Patres Concilij Trullani in cano. supra citato, hunc locum Chrysostromi: citat deinde VValdenis Ambrosium Luc. 9. in quo nihil inuenio. Affert præterea Hieronymum Marti 14. qui potius dicit contrarium. Refert denique Augustinum seu auctorem libri de

Eccle. dog. c. 75. qui non negat, Christum adhibuisse aquam, sed tacito illo facto Christi, refert hanc consuetudinem miscendi aquam vino ad Christi passionem, scilicet, quia aqua ex latere eius cum sanguine manauit. Vnde ab autoritate negatiua videtur inferre, Christum non adhibuisse aquam: quia si hoc exemplum agnosceret, & illo potius consuetudinem Ecclesie probaret, & hoc modo citari possunt pro hac sententia Alexander Papa in citata epi. & Innoc. III. in cap. In quadam, de Celebratione missarum, & propter hanc rationem tenuit hanc sententiam Pascha. lib. de corpore & sang. Christi, c. 11. & Raba. lib. eiusdem tituli. c. 18.

Verior tamen, & ferè certa sententia est, Christum consecrasse in vino aqua misto: ita enim docent antiquissimi Patres, quibus in hac re fides adhibenda est. Iacobus in Liturg. Clemens lib. 8. consit. capite 12. alias 17. Irenæus, Cypr. & alij supra allegati, & consentiunt fere omnes Scholastici, & multum inclinavit in hanc sententiam Concil. Tridentin. & ad illam accommodari solent in sensu saltem spirituali verba illa, Prouerb. 9. Sapientia edificauit sibi domum, misceuit vinum. Quæ etiam intellexit ita Hebræus Rabi Samuel, opuscul. de aduentu Messie, cap. 20. in tom. 5. Bibliothec. & Hieronym. de questionibus Hebraic. circa lib. 1. Paralipomen. capite 11. dicit, figuram huius misterij fuisse, quod vinum aqua mistum in sacrificium Domino offerebatur. Ratio reddi potest, quia decebat Christum, vt potu temperatissimo, atque adeo vino misto. Hanc rationem reddit Hugo Aetherianus, libro secundo, contra Græcos, capite 16. Sed Scholasticis non est probata. Alias posset etiam inferri: æqualem vel maiorem partem misceuisse aquam: tum etiam, quia nihil ad rationem temperantia pertinebat, vt in tam modico potu, qui non propter corporis refectionem, sed propter mysterium sumebatur, aqua adiungeretur. Igitur præter voluntatem Christi, si humanam rationem reddere velimus, non est alia, nisi quia fortasse voluit vt in vino, prout erat in communi vsu, seu prout erat in mensa. Verior tamen est ratio mystica sumpta ex significatione. Nam omnes rationes, quæ nunc mouent Ecclesiam, multo magis poterunt Christum mouere. Nec tamen inde fit, hoc esse de necessitate sacramenti, quia non omnia, quæ Christus in cena fecit, hanc necessitatem habent: imò nec necessitatem præcepti diuini, vt constat de pane azymo & aliis similibus. Hinc vero recte intelligitur, optima ratione potuisse Ecclesiam imitari Christum in hoc facto, etiam si ad necessitatem sacramenti non pertineat: & iuxta hanc sententiam explicari possunt Patres, qui hanc vocant Christi traditionem & institutionem: quia scilicet ab illius facto, & exemplo, duxit originem, tanquam à causa (vt ita dicam) exemplari, & ab aqua: quæ ex latere eius manauit, tanquam à causa (vt ita dicam) finali. Quia illud mysterium per hanc missionem representatur, & hoc modo omnia commode expediuntur & conciliantur: nam Patres, qui vnam reddunt causam, aliam non excludunt.

SECTIO III.

Quæ circumstantia seruanda sint in aqua vino miscenda.

Quatuor inquiri hoc loco possunt. Primum de quantitate seu natura aquæ miscende. Secundum, de quantitate. Tertium de tempore. Quartum denique addi potest persona, à qua miscenda est.

Primo igitur certum est, illam aquam debere esse naturalem seu elementarem: ita D. Thom. hic, artic. 6. ad 3. Alens. 3. part. quæst. 32. in 5. art. 1. Gabr. lect. 35. in Canon. ceteri Theologi distinctione vndecima. Rationes sunt. Prima, Ecclesie traditio & consuetudo: se-

Pascha.  
Rabanus  
Responsio  
Christus con  
secrauit in  
vino aqua  
mixto.  
Iacobus.  
Clemens.  
Irenæus.  
Cypr.  
Prouer. 9.  
Rabi Sam.  
Hieron.

Naturalis  
est debet  
qua quæ  
secur in sa  
cramento  
Eucharstia.  
Alens.  
Gabriel.